



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Et Virtutes Venerabilis Patris Lvdovici De Ponte, Societatis Jesu

Lamparter, Heinrich

Jngolstadii, 1662

Epistola XV. Ad Petrvm De Figveroa Societatis Iesv.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43978

diutissimè seruet incolumem. Val.
lisoleti 18. Octob. Anno 1610.

EPISTOLA XV.

AD PETRVM DE FIGVEROA
SOCIETATIS IESV.

DE TOLERANDO MAIO-
RVM TALENTORVM DE-
FECTV.

Pax Christi.

IN promptu est responsio ad ea,
charissime frater, quæ à me
scire desiderat; si animum ad ea
reflectam præcepta, quæ Servator
nobis prælegit in præsepio. Nam
in præsentia tantæ abjectionis, cor-
ruunt omnes rationes vanitate
subnixæ. Si solis Philosophis, ac
Theologis, ad imitationem Chri-
sti, perfectionem Christianam,
culmina sanctitatis, ac sublimiores
in cœlo sedes accessus pateret, es-
set sanè commiseratione dignum,
videre

videre quosdam ingenij, naturæq;
 dotibus destitutos, quibus ad hu-
 iusmodi scientias opus est. Sed al-
 tiora sunt providentiæ divinæ con-
 silia; quæ multis, sibi charissimis,
 ejusmodi dona negavit, ne perpe-
 ram ijs utendo, sibi ipsis ad Christi
 imitationem, virtutisque, ac gloriæ
 divinæ augmentum impedimento
 essent: non paucis quippe nimia
 scientia exitio fuit; quia superbiæ
 irritamentum. Quem igitur DEVS
 sibi in Societate Filij sui adjunxit,
 ingenij tamen acie ad quasdam
 scientias requisitâ non instruxit,
 is certò sibi persuadeat, non exigi
 à se, ut in earum studio, DEO, ad
 promovendam ejus gloriam, ser-
 viat. Quare, mi Figueroa, si & his
 operam ab ipso dari voluisset, non
 denegâset sanè necessaria auxilia,
 quem ad humaniorem litteratu-
 ram ita probè instruxit. Credat
 igitur, melius fuisse carere illis, quæ
 dene-

m. Val.
 610.
 V.
 VEROA
 V.
 MAIO.
 DE-
 o ad ea,
 e à me
 n ad ea
 ervator
 . Nam
 nis, cot-
 nitate
 ohis, at
 n Chri-
 anam,
 imiores
 eret, et
 lignum
 videre

denegavit; ut his, quæ dedit, in gloriam & obsequia DEI utatur alacrius.

Ego nullum hîc solatium invenio, nisi in suavissima Patris mei cœlestis providentia, cuius voluntatem clarissimè agnosco in his omnibus, quæ mihi absque mea culpa denegavit. Quamcunque tandem in partem se se converterit, nunquam in hac vita animi pacem, solamen, gaudium, virtutem, aut verum honorem assequetur, nisi divinæ voluntati se accommodet, & ab ejusdem sacratissimo arbitrio totus dependeat. Atque hinc clypeum mutuare poterit, quo se adversus pravas suggestiones, & insurgentia undequaque pericula protegat; hinc in tristitia solamen, hinc donum perseverantiæ, & ad extremum gloriæ coronam sibi comparabit. Meminerit adpromissæ DEO obedi-

dien-

dientia, utque hæc vita ad divinum placitum, per suos ministros declaratum, exigatur, curet; nec ex indulgentia secum, sed ex regularum potius, ab ipso DEO præscriptarum, tenore agi postulet. Quod enim per vim, aut indulgentiam extorquetur, solidum animo solatium afferre non potest; multoque minus stabilem inducere securitatem. Et quoniam Societatis leges exigunt, ut tempus in ijs sinè fructu non absumatur, ad quæ per ingenij tarditatem pertingere non licet, sed ad alia potius studium transferatur; quidquid hac in parte moderatores illi indulserint, regulis erit adversum; idque ob infirmum subditi animum, plus hominum dicta & existimationem, quam judicaturi olim DEI sententiam, reformidantis. His abunde expensis, illud sub extremum admonéo, ut
certo

certò secum statuat, DEI voluntatem magis per Superiores, quàm per quoscunque consiliarios manifestari. Quare poterit P. Provinciali exponere ea omnia, quæ in corde suo geri animadvertit, sincerè ab eodem postulando, ut pro suo ipse arbitrio singula disponat, nihil humanis rationibus tribuendo; sed quæ ad majorem DEI gloriam, Societatis emolumentum, animæque suæ salutem facere videbuntur, audacter statuendo. Tum quæcumque is in partem sententiam flexerit, eò & charitas tua toto obsequiosæ voluntatis pondere se se incliniet. Aderit tam prompto famulo suo DEVS, & pacem dabit, in qua plenissimè acquiescat. Amen. Vallisoleti 2. Decembris Anno 1612.

Figueroa hic, Ludovici consilium secutus, eximiam postmodum in humanioribus laudem sibi peperit, quibus

bus etiam ipse totam vitam addixit:
ac post magna tolerantia, virtutisque
exempla edita, in Burgensi Collegio
felicem mortem oppetijt, cujus stu-
dij per multos annos fuerat Præfe-
ctus.

EPISTOLA XVI.

AD P. FRANCISCVM
MARTINEZ.

QUID ANXIIS AC PERVER-
SIS COGITATIONIBVS
afflicto consulendum
sit.

Pax Christi.

DEVS omnium bonorum fons
æternis bonis Reverentiæ Ve-
stræ charitatem compenset, quâ
librum in Galliam misit; ego etiam
id, quod literis suis significavit,
quamprimum hominem, qui fe-
rat, idoneum nactus fuero, diligen-
tissimè transmittam.

Afflictam illam animam, de

HH qua